



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

28. S. S. Simon, & Judas Apostoli

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

594 XXVIII. Octobris. S. Simonis & Judæ Ap.  
*tuo famulo subveni, quem pretioso san-*  
*guine redemisti.* Si fieri potest, eâdem  
die, vel sequenti humiliter confiteamur,  
quia peccavimus. Sic cecidisse non no-  
cet.

## Festum Sanctorum Apostolo- rum Simonis, & Judæ.

### EXHORTATIUNCULA I.

**H**I Apostoli ò quales non tulere in-  
jurias, & persecutiones à mundo!  
Sed non mirum. Christi erant discipu-  
li, quorum vita una continuata perse-  
cutio. Dubito, mi bone fili! An &  
nos de eorum simus numero? Quia,  
quòd nos odiat mundus, corde tam in-  
firmo, ac debili portamus. Ubi est fi-  
des nostra? Ubi & spes solida? Stemus  
firmiter, & perseveranter! Simus lon-  
ganimes, & viri fortes, & veniet nobis  
consolatio in tempore. Gersen.

#### *Instructio meritoria.*

Tempore afflictionis, vel persecutio-  
nis sese subtrahere publico, & agere  
cum solo Deo, non modò consultum,  
sed & sanctum est. In solitudine, & re-  
colle-

XXVIII. Octobr. SS. Simonis & Judæ Ap. 595  
collectiōne videbimus auxilium Dei su-  
per nos, ubi & elevatis in cœlum, vel  
Jesum Crucifixum oculis, frequenter su-  
spiremus: *Domine! in nomine tuo sal-  
vum me fac, & in virtute tuo judica  
me. Deus exaudi &c.* Neglectō, &  
non invocatō Deō quid poterit homo?

II.

**D**ilecte! quid eligimus? Magis dili-  
gi à mundō? An verò à Christo  
Domino? Si à Christo? Mundum relin-  
quamus cum omni pompa & concupi-  
scentia ejus, necesse est. Et sanè, *qui  
renuntiavit sæculo, major est honoribus  
ejus, & regnō.* S. Cyprianus.

*Instructio meritoria.*

Species de sæculo redeuntes citò alli-  
damus ad Christum easque deportemus  
ad sanctissimum Dei Evcharistici taber-  
naculum, rogitantes: *Judica me Deus,  
& discerne causam meam de gente non  
sancta, ab homine iniquo, & doloso erue  
me.* Caveamus, ne nos sæculi immi-  
scendo negotiis ardentiosem his specie-  
bus præbeamus fomitem. Quod stu-

pa

596 XXVIII. Octobr. SS. Simonis & Judæ Ap.  
pa igni, hoc mundi cogitatio orcino  
impostori.

III.

**O** Si & nos cum his sanctis Apostolis  
audiremus illa Christi verba: *Ego  
elegi vos.* Quàm tuta, & beata foret  
fors nostra! At quid obstat, ut non au-  
diamus? Quia corpus, quia nostra com-  
moda propria, respectum humanum  
cum nimia sui reputatione principaliter,  
& constanter attendimus. Sic capimur  
à mundo, & relinquimur à Christo. O  
derelictionem! Nam *nullum amanti  
Deum gravius est supplicium vitæ, quæ  
à summi Boni possessione arcet.* S. Xa-  
verius.

*Instructio meritoria.*

Profectò hoc non est quærere solum  
Deum! Quæramus nos in majori puri-  
tate, saltem indifferentibus diei operi-  
bus expressam præmittendò intentio-  
nem, & contestationem candidissimam:  
*Deus meus mihi, & ego ipsi.* Itidem  
preces consuetas, & ordinarias devotio-  
nes extraordinariò hodie affectu peraga-  
mus. Ut Deus augeat fervorem, recite-  
tur

cur Officium de Spiritu Sancto. Quis  
oret & non ardeat?

Festum S. Narcissi Episcopi, &  
Martyris, Augustæ Vindelicorum  
Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**. Narcissus suâ modestiâ, & vitæ san-  
ctioris exemplô traxit Hilariam,  
Afram, & totam familiam ad Christi Je-  
su fidem, & gratiam. O quot adhuc fie-  
rent ejusmodi conversiones inopinæ, si  
non deessent pii, & sancti homines!  
Chare! libertate, aut eruditione nostrâ  
malè credimus, converti populos; non  
scientiæ, aut libertatis vanæ hoc opus  
est, sed dexteræ Dei. Nos in virtute fa-  
ciamus, quod possumus: Deus supple-  
bit cætera. Trahit populum, qui vivit  
ad Dei & cœli obsequium.

*Instructio meritoria.*

Ut Deus toti Vindelicorum Augustæ  
meritis S. Narcissi provideat de viris verè  
Apostolicis, doctrinâque, ac pietate  
conspicuis, offeramus hodiernum Cur-  
sum cum S. Rosario. Quod fit populo,  
fit